Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars III.
Wien, 1802 Seite 1857
Quelle:
Copyright:

pore. Hinc non dubito, de noſtris Sermonibus agi, reſcribendumque in Nota illa *Patavini* pro *Pariſienſis*. Quae porro ulterius ibidem notantur, adſcribere hic placet. *Hunc librum teſtatus eſt Monaſterio ſancte Dorothee virginis dominus Michael Plebanus in Pölan* (Pölla, Altpölla Auſtr. infer.) *Canonicus in Sanctoſtephano hic wienne, et ſingularis Capellanus domini Regis romanorum &c. monaſterij noſtri prenominati fundatoris, quem in langendorf vngarie conſtitutum et in extremis laborantem ſacramentis eccleſiaſticis procurauit. Anno domini M°. CCCC°. Triceſimo nono. Idcirco fratres Kariſſimi orate dominum deum benedictum et glorioſum pro animabus amborum. Sciant etiam fratres mei dilecti, quod preſcriptus Rex romanorum fuit dominus Albertus quintus* (Imp. II.) *Illuſtris Princeps Auſtrie et poſtea factus etiam Rex Hungarie ac Bohemie*. Locus mortis *Langendorf* Hungaris *Neſzmél* dicitur.

DCCLXXI.

R. 3157 Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 209. 4. min. per duas columnas minute, ſed elegantiſſime exaratus, rubro diſtinctus, et olim ejusdem *Monaſterii* perfectius eſt *Sermonum F. Lucae*, qui hic neque *Pariſinus*, neque *Patavinus* audit, Exemplar praevio tam Indice Verborum, quam Schemate omnium Sermonum, tum etiam Prologo inſtructum, qui incipit: *Narrauerunt mihi iniqui fabulationes* &c. *Tanta eſt diuine legis excellentia, ut quidquid extra ipſam eſt fabulatio cenſeatur* &c. et in quo legas: *Suſcipe digne pater totius ordinis minorum miniſter* &c. *Sermones* cenſentur CXCII. quorum primus eſt ille, qui ſuperius ſecundus dicitur. Codici praetexta eſt Lacinia cujusdam Commentarii rabbinici.

DCCLXXII.

Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 218. 8. per duas columnas luculente exaratus, rubro diſtinctus et olim ejusdem *Monaſterii* continet Excerpta e *Sermonibus* praedicti *Lucae* melius *Patavini*, quam *Pariſienſis*, quamvis etiam hic *Pariſinus* vocetur. Initium fecit Librarius a Sermonibus *in Dedicatione Altaris* et *Eccleſie*, tum ab *Adventu* orditur ita, ut Sermo: *Uniuerſe vie domini* &c. ſupra citatus demum *fol.* 17. compareat. Excerpta plerumque brevia ſunt, eaque ſolum in Evangelia et Epiſtolas de Tempore, paucis Feſtis adtactis. R. 3150

DCCLXXIII.

Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 159. f. per duas columnas exaratus, rubricis diſtinctus, et olim Collegii S. J. *Viennae* continet varia *Jacobi de Voragine* ſeu *Varaze* ex Ord. Praed. ad *Genuenſem* Archiepiſcopatum. a. 1292. adſumti, et a. 1298. mortui, et 1) quidem *Quadrageſimale*, quod a Die Cinerum incipit: R. 947.